



Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIETATE
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

DE MEMBRIS ECCLE-||SIAE MILITANTIS,|| TRIBVS LIBRIS|| EXPLICATA.||

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>

Ingolstadii, [1599]

VD16 B 1607

VII. Ius eligendi Pontificem, ceterosq[ue] Ecclesiæ Ministros, non
conuenire populo iure diuino.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53880](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53880)

ratio per electionem, quàm per generationem; nam si electio valeat, semper optimi & doctissimi Pastores præfici possunt Ecclesiis; si autem generatio locum habeat, cogemur non rarè pueros habere Episcopos, aut viros improbos, & imperitos.

Neque verò rectè obiici potest, etiam nunc eligi sæpe improbos, & imperitos, aut adolescentulos, ac penè pueros. id enim non accidit ex natura rei, sed vitio eligentium, quòd facillè emendari potest. At generatio naturaliter affert secum eiusmodi incommoda, quæ nullum omnino remedium admittunt. Manear igitur, melius esse Pastores Ecclesiæ eligi, quàm nasci.

CAPVT VII.

Quinta Propositio.

Hic eligendi summum Pontificem, ceterosq; Ecclesiæ Pastores, & Ministros, non conuenit populo iure diuino: Sed si quid aliquando in hac re populus potuit, id totum habuit ex conuiuentia, vel concessione Pontificum. Hæc propositio propriè statuitur aduersus Lutheranos, & Calvinistas. & probatur PRIMO exemplo Aaronis, & testimonio B. Pauli. scribit enim Apostolus ad Hebr. 5. Neminem assumere sibi debere honorem, nisi vocetur à Deo, tanquam Aaron; atqui Aaron à solo Mose fuit electus in Pontificem, sine villo vel consensu, vel consilio multitudinis.

SECUNDO idem probatur exemplo, & verbo Christi; Christus enim Ioan. 20. Apostolis ait: *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos.* Quocirca voluit, vt ea potestate, eaque ratione Apostoli gubernarent Ecclesiam, qua ipse eam gubernauerat eo tempore, quo præsentiam suam mundo exhibuerat. At ipse Apostolos primùm duodecim, ac deinde discipulos septuaginta duos. elegit, sine consilio, aut suffragio villo multitudinis.

TERTIO ex iure diuino, tum naturali, tum etiã scripto;

nam iure diuino scripto Episcopi sunt Pastores populi, populi sunt oues, Ioan. vlt. Actor. 20. 1. Petr. 5. Ratio autem naturalis apertissimè docet, ouibus non conuenire, vt pascant, ac regant, sed regantur, atq; pascantur. At eligere Pastores, ad gubernationem & regimen pertinere certissimum est; nõ igitur populo conuenit Pastores eligere.

OBIICES fortassè, quòd in terrena Republica populi dicantur oues; reges, pastores, & tamen regis electio ad populum spectet. **RESPONDEO**, aliam esse rationem terrenæ, aliam cœlestis, id est, Christianæ Reipublicæ. Nam in terrena Republica nascuntur omnes homines naturaliter liberi, & proinde potestatem politicam immediatè ipse populus habet, donec eam in regem aliquem non transfulerit. At Christiana Respublica nunquam habuit eiusmodi libertatem, siquidem cum ipsa natus est & Pastor ipsius; Christus enim simul Ecclesiam instituit, & Petrum ei præfecit. Deinde populus in terrena Republica tum solum potest regem eligere, cum rege caret; at Ecclesia nõquam rege caret, semper enim Christus uiuit, semper etiam sunt in Ecclesia Episcopi aliqui, qui Pastores novos eligere & creare possunt.

QUARTO idem probatur exemplo Apostolorum, qui Episcopos passim eligebant sine ullo suffragio multitudinis, vt velex eo constat, quod Episcopos à se creatos mittebant ad populos absentes, & infideles. Neque valet quidquam responsio **KEMNITII**, qui in examine Tridentini Concilij in disputatione de Sacramento ordinis scribit, Episcopos, quos Apostoli mittebant ad infideles, eligi solitos à plebe illius Ecclesiæ, vbi ordinabantur. Nam qui dicunt iure diuino pertinere electiones ad populum, eam ratione reddunt, ne populus accipiat Pastorem, quem neq; nouit, neq; cupit. Proinde volunt iure diuino pertinere ad populū Episcopi proprii, non alieni electionem. Deinde quo iure vnus populus Episcopū alterius populi eligere potest? Deniq; unde probat Kemnitius, Episcopos, quos Apostoli mittebant, à populo eius Ecclesiæ electos fuisse, vbi ordinabantur?

QUINTO probatur eadem nostra conclusio ex Conciliorum veterum decretis, ac **I. LAODICENVM** Concilium canone 13. sic habet: *Non est permittendum turbis electionem eorum facere, qui sunt ad sacerdotium promouendi.* Nec

Nec valet CALVINI responsio, qui canonem istum ita interpretatur, ut velit non excludi eo canone turbas ab electione, sed solum constitui ut non solæ turbæ eligant, sed intersint etiam seniores. Cùm enim semper interfuerint seniores, nihil omnino Concilium statuisset, si vera esset Calvinii interpretatio.

Ad hæc in Concilio Martini Papæ apud Martinum Bracarensem, cap. I. decretorum ita legimus: *Non licet populo electionem facere eorum, qui ad sacerdotium promouentur, sed in iudicio Episcoporum sit.* Item Concilium NICÆNVM II. can. 3. sic habet: *Omne electionem, quæ fit à magistratibus, Episcopi, vel Presbyteri, vel Diaconi, irritam manere. Oportet enim eum, qui est promouendus ad Episcopatum, ab Episcopis eligi.*

Deniq; Concilium IV. CONSTANTINOPOLITANVM, quod est octauum generale can. 28. *Sancta, inquit, & vniuersalis Synodus definit, neminem laicorum Principum, vel potētum semet inferere electioni, vel promotioni Patriarchæ, vel Metropolitanæ, aut cuiuslibet Episcopi, præsertim cùm nullam in talibus potestatem, quemlibet potentium, vel ceterorū laicorum habere conueniat, sed potius silere, ac attendere sibi, & quò regulariter à collegio Ecclesiæ suscipiat finem electio futuri Pontificis.*

Sexto idem probatur exemplis, seu testimoniis veterum, qui post Apostolos floruerunt. S. HIERONYMVS in epist. 85. ad Euagrium: *Alexandria, inquit, à Marco Evangelistâ & ad Heraclam & Dionysium Episcopos Presbyteri semper unum ex se electum, in excelsiori gradu collocatum, Episcopum nominabant.* Hæc ille, quo satis apertè docet, Alexandria antiquissimis temporibus Episcopos non à populo, sed à Presbyteris eligi solitos. RUFFINVS lib. 10. hist. cap. 9. scribit, Frumentium à S. Athanasio creatum Episcopum Indorum, Indis ipsis ea de re nihil neque scientibus, neque cogitantibus. EPIPHANIUS in epistola ad Ioannem Episcopū Hierosolymæ scribit à se Paulinianum S. Hieronymi fratrem Presbyterum ordinatum, & directum ad monasterium, ut in eo fungeretur munere sacerdotali, cùm tamen de ea re nihil ad se eiusdem monasterij fratres scripissent. Sanctum AVGVSTINVM Anglorum Apostolū B. Gregorius Episcopum

pum designauit, atque ab Arelatenſi Epifcopo ordinari iuſſit, ſi Angli fidem reciperent, neque electionem, aut poſtulationem vllam Anglorum exſpectauit. Vide Bedam lib. i. hiſtorie Gentis ſuæ. Beatus quoq; Gregorius II. S. Bonifacium Germanis Epifcopum ordinauit nihil ea de re ſcientibus, cogitantibusue Germanis. Vide ipſius vitam nuper editam, atque eiufmodi exempla plurima poſſent afferri.

SEPTIMO idem probatur ex incommodis, quæ populari electionem conſequuntur. PRIMVM, populares imperiti ſunt, nec poſſunt, etiam ſi maximè velint, iudicare an aliquis ſit idoneus ſacerdotio nec ne. Valentinianus Auguſtus, vt refert Theodoretus libro 4. hiſt. cap. 6. cùm ad eum deferretur ab Epifcopis electio Epifcopi Mediolanenſis, reſpondit: *Maiores eſt quàm vt nobis conueniat, vos autem gratia diuina præditi, & illius ſplendore fulgentes melius eligitis.* Hæc ille. At quantò magis id poſſet ac deberet dicere imperita multitudo, ſi ſaperet? Quo pacto enim, quæſo, iudicabunt mercatores, agricolæ, cæmentarij, ceterique opifices, num quis habeat eruditionem, & prudentiam Epifcopo neceſſariam?

DEINDE, ſi populus ius habeat eligendi, neceſſe erit, vt ſemper præficiantur quos præfici cupient peiores, & ſtultioreſ; nam maior pars vincet, plures autem ſunt in qualibet ciuitate mali, quàm boni; plures ſtulti, quàm ſapientes. Quare S. Chryſoſtomus libro 3. de ſacerdotio grauiter queritur, quòd ſuo tempore Epifcoporum electiones in manu populi eſſent, ac dicit non eſſe mirandum, ſi peſſimi qui que præficiantur, & optimi viri interim negligantur, cùm eorum ſit eligere, qui nihil norunt niſi de rebus temporalibus iudicare.

DEINDE, electio popularis obnoxia eſt tumultibus, ac ſeditionibus; vt S. Auguſtinus dicit in epiſt. 110. & 225. vbi refert hiſtoriam turbulentiffimæ commotionis popularis in electione Piniani; Ruſſinus quoque lib. 11. hiſt. cap. 11. narrans diſſenſionem populi Mediolanenſis in Epifcopo designando: *Diſſenſio, inquit, grauis, & periculofa vrbis propriamaturum parabat exitium.* Sed inſignis contentio præter ceteras fuit in electione S. Damafi; tanto enim ardore animi partes concurrerunt, vt in quòdam templo C. XXXVII. homi-

homines necarentur, vt scribunt Ammianus Marcell. li. 27.
Hier. in Chronico, & Ruffin. lib. II. hist. cap. 10.

At, inquit Caluinus, si tam est incommoda hæc ratio eligendi, cur eam veteres patiebantur? Quod ergo eam nõ tollerent è medio, argumento est non potuisse tolli, propterea quòd esset iure diuino constituta.

RESPONDEO, eam rationē eligendi ad suffragia populi, paulatim in Ecclesiã irrepsisse, proinde debuiffe etiam paulatim suauiterq; de medio tolli; initio enim, hoc est, Apostolicis temporibus, insciente populo, Pastores eligebantur. deinde cœpit populus adhiberi ad testimonium dandũ de vita & moribus eligendi. Vnde est illud Tertulliani in Apolog. cap. 39. *Præsunt probati quisque seniores, honorem istum non precio sed testimonio adepti.* Tum vt populi magis diligenter suos Episcopos, cœpti sunt ij tantũ ordinari, quos populus postulasset. Vnde est illud S. LEONIS in epist. 87. vel 89. *Expectarentur vota ciuium, testimonia populorum, honorarorum arbitrium, electio Clericorum, qua in sacerdotium solent ordinationibus ab his, qui norunt Patrum regulas, custodiri.* Vbi S. Leo populis tribuit vota, id est, desideria, & testimonia, Clericis autem electionem.

Tandem obtinuit in quibusdam locis consuetudo, vt etiam ius suffragij sibi populus vsurparet, vt intelligi potest ex lib. 3. Chrysostomi de sacerdotio. Sed posteaquam hoc aliquandiu toleratum est, & apparuit eius rei confusio, & indignitas, tum etiam paulatim sublata est populo electio, & postulatio, solumq; relictum est testimonium vitæ & morum. Nam etiam nunc ordinantur Episcopi & Presbyteri coram populo, & Episcopus, qui ordines collaturus est, per Diaconum populum alloquitur, ac petit, vt si quis est, qui aliquid habeat aduersus ordinandos, accedat, & dicat. Superest argumenta soluere.

MATTHIAS ILLYRICVS in lib. de electione Episcoporum collegit omnia fermè argumenta, quæ à Luthero, Brentio, Caluino, & aliis excogitata fuerant. Sex autem primo loco ex verbo Dei argumenta depromit. **PRIMUM** eiusmodi est; *Claues regni cœlorum non soli Papæ, aut Episcopis, sed toti Ecclesiæ datae sunt.* Nam quod dicitur Matth. 16. *Tibi dabo claves, &c.* S. Augustinus tractat. 124. in Ioan. interpretatur dictum

- » dictum esse Petro, vt is personam gerebat Ecclesie. Præte-
 » rea Matth. 18. toti multitudini dicitur: *Quacunque alliga-*
 » *ueritis super terram, &c.* Illis enim hoc dicitur, quibus dici-
 » tur paulò antè: *Si peccauerit in te frater tuus, & uade corripe*
 » *eum, &c.* At nomine clauium significatur omnis potestas
 » Ecclesiastica, igitur tota multitudo fidelium potestatem ha-
 » bet à Christo eligendi, & vocandi, atque etiam ordinandi
 » Ministros.

RESPONDEO, de hoc argumento multa diximus in 1. lib.
 de Põtifice, idcirco paucis hoc loco rem totam expediemus.
 Igitur uerba illa Matth. 16. *Tibi dabo clauis, sententiæ nostræ*
manifestè fauent, neque illi repugnat S. Augustini interpre-
tatio. Nam propterea S. Augustinus dicit, Apostolum Petrum
 in persona totius Ecclesie accepisse clauis, quia in totius
 Ecclesie cõmodum & utilitatem eas accepit, & etiam quia
 non ipse solus illis usus erat, sed transmissurus ad succello-
 res, & cõmunicaturus cum aliis omnibus Episcopis & Pres-
 byteris.

In altero autem loco: *Quacunque alligaueritis, &c.* pro-
 mittitur Ecclesie potestas ligandi & soluendi, sed quæ in
 Prælatis sit, non in reliqua multitudine. Verè enim dicitur
 Ecclesia soluere & ligare, quia Prælatis eius soluunt & ligant,
 quemadmodum dicitur homo loqui & uidere, licet non ni-
 si lingua loquatur, & oculis uideat. Id autem ita esse, ex ip-
 so illo loco deducitur; nam posteaquam iusserat, vt qui
 correptione fraterna, adhibitis etiam duobus aut tribus tes-
 tibus, non moueretur, deferretur ad Ecclesiam, & ne quis
 Ecclesie tribunal contemnendum putaret, adiecit eam pro-
 missionem: *Quacunque alligaueritis, &c.* quare illi Eccle-
 sie dicitur: *Quacunque alligaueritis, de qua dictum est: Dic*
Ecclesia.

Illud autem: *Dic Ecclesia,* exponitur à Chrysofomo in
 commentario eius loci, ac si dictum esset: *Dic Prælato Eccle-*
sie: ceteri quoque Doctores per Ecclesiam eo loco positam,
intelligunt Prælatum, aut Concilium Prælatorum. & usus
Ecclesie idem confirmat; semper enim qui ad Ecclesiam de-
feruntur, ad Episcopum aut Concilium deferuntur.

- » **S**ECVNDVM argumentum tale est; Imperat Dominus,
 » Ioan. 10. vt non audiamus uocem alienorum. Et rursus Matth.
 7. 11

7. vt fugiamus falsos Prophetas; & Apostolus ad Gal. i. iubet
anathematizari eos, qui docent aliquid præter Euāgelium:
Igitur populus Christianus diuinum habet mandatum, quo
tenetur bonos Pastores quærere, & vocare, & perniciosos re-
iicere.

RESPONDEO, populum debere quidem discernere ve-
rum à falso Propheta, sed non alia regula, quàm diligenter
attendendo, an is, qui prædicat, dicat contraria iis, quæ di-
cebantur à prædecessoribus, vel iis, quæ dicuntur ab aliis or-
dinariis Pastoribus, & præsertim ab Apostolica sede, & Ec-
clesia principali; nam imperatum est populo, vt audiat Pa-
stores suos, Luc. 10. *Qui vos audit, me audit.* Et Matth. 23.
Qua dicunt, facite. Non igitur debet populus iudicare suum
Pastorem, nisi noua audiat, & à doctrina aliorum Pastorum
aliena.

PRÆTEREA, hoc est quod Paulus monet ad Galat. i. vt
anathematizemus, qui docent noua, & contraria iis, quæ
antea euangelizata sunt. Adde, quod populus cùm sit rudis,
non potest aliter iudicare de doctrina Pastoris. si enim per
se posset iudicare, non egeret prædicatoribus: ex quo dedu-
citur, debuisse hominibus huius temporis suspectâ esse do-
ctrinam Lutheri, Caluini, & similibus, qui per se veniebant,
& prædicabant noua & pugnantia cum doctrina omnium
Pastorum Ecclesiæ. Nam cùm Pastor ordinarius, & aliquis
alius, qui prædicat non vocatus, contraria docent, debet o-
mnino populus Pastorem suum potius sequi, quàm illum al-
terum, qui nõ est Pastor, etiam si fortè contingeret, vt Pastor
erraret. Nam cùm ipse populus non possit de ea re iudicare,
cur non potius crederet illi, cui iussus est obedire? Quanquam
non est credibile, Deum permissurum, vt ordinarius Pastor
erraret, vt decipiat simplicem populum; facilè enim appa-
ret, an doceat contraria ceteris Pastoribus.

Obseruandum est præterea, populum posse quidem ea
regula, quam posuimus, internoscere verum Prophetam à
falso, sed non propterea posse falsum Pastorem, si is sit Epi-
scopus, deponere, & alium eius loco substituere. Nam Do-
minus & Apostolus tantùm iubent, vt falsi Prophetæ nõ au-
diantur à populo: nõ autem vt populus eos deponat. & certè
vssus Ecclesiæ semper hoc habuit, vt hæretici Episcopi à Con-
ciliis

ciliis Episcoporum, vel à summis Pontificibus deponerentur. Ex his secundum argumentum manet solum.

- » TERTIVM argumentum est hoc. Episcopi non sunt Do-
 » mini, sed Ministri Ecclesiæ, 1. Cor. 3. & 1. Pet. 5. Et præterea
 » Ecclesia est columna & firmamentum veritatis, 1. Tim. 3. Igi-
 » tur summum tribunal est penes Ecclesiam, non penes Epi-
 » scopos, proinde ipsa potest eligere & vocare Ministros.

Credendum est
In primis
quod dicitur
 RESPONDEO Episcopos esse Ministros Ecclesiæ, quia pro
 ea laborant, non illi obediendo, sed eam regendo, eique
 præsidendo, ut aliàs diximus. Duplex enim est genus Mini-
 strorum, cum alij seruiant obediendo, ut mancipia; alij im-
 perando, ut prædagi, & omnis magistratus; porro Episco-
 pos seruire populis regendo & imperando, patet Act. 20. & ad
 Hebr. 13. Est autem Ecclesia columna veritatis, quia semper
 audit Petrū, pro quo Dominus orauit, ne deficeret fides eius.

- » Argumentum QVARTVM sumunt ex Act. 1. vbi non so-
 » li Apostoli, sed tota Ecclesia elegit Matthiam & Barsabam,
 » ut ex eis Deus vnum assumeret.

RESPONDEO cum Chrysostomo in hunc locum, id fa-
 ctum esse ex concessione Petri, non ex necessitate: *Quid,* in-
 quit CHRYSOSTOMVS, *an non licebat ipsi Petro eligere &*
licebat, & quidem maxime; Verum id non fecit, ne cui vide-
retur gratisficari. Præterea illa non tam electio fuit, quam
 postulatio quædam, qua cupiuerunt à Deo aliquem eligi in
 locum Iudæ. Denique, ab exemplo vno nõ deducitur aliquid
 esse de iure diuino. nos quidem efficaciter probamus, non
 esse de iure diuino, ut populus eligat; quando exemplis ostē-
 dimus, aliquando sine populi suffragio Episcopos fuisse ele-
 ctos, quia non potest rectè fieri cōtra ius diuinum. At non
 efficaciter probamus esse de iure diuino id omne, quod ali-
 quando factum legimus.

- » Argumentum QVINTVM ex Act. 6. vbi de multitudine
 » credentium dicitur: *Et elegerunt Stephanum, &c.*

Respondeo PRIMO, ab hoc exemplo non probari, id esse
 de iure diuino. SECUNDO dico, id etiam esse tributum po-
 pulo ex concessione Apostolorū, ut Lucas ipse apertè testa-
 tur. TERTIO dico, locū hunc non esse ad propositum: Nos
 enim agimus de electione Pastorum, qui præficiuntur Eccle-
 siæ regendæ, isti autem Diaconi erant præficiendi mensis.

Argu-

Argumentum **SEXTVM** Act. 14. *Et cum constitissent illis per singulas ciuitates Presbyteros*, verbum Græcum *χειροτονήσαντες*, significat, cum elegissent per suffragia. Nā *χειροτονέω*, est quasi *χείρας τείνω*, id est, manus tendo, seu attollo in signum suffragij; vt enim constat ex M. T. in oratione pro Flacco, signum suffragij apud Græcos erat, attollere manus. Cū ergo Paulus & Barnabas elegerint Episcopos ad suffragia populi, manifestū est, eos præfuisse quidem electioni, sed non solos elegisse.

RESPONDEO ad hoc argumentum, quod est præcipuum fundamentum Illyrici, Caluini, Kemnitij, & aliorū, verbum *χειροτονέω* tria significare posse. **PRIMO**, eligere per suffragia, vt ratio ipsa etymologiæ docet, & vsus etiam prophano- rum auctorum.

SECUNDO, eligere ac decernere quocunq; id fiat modo: Nam etiamsi etymologia ab extensione manuum sumpta sit, tamen deriuatur postea verbum ad omnem electionem & sanctionem, vt multis aliis verbis accidit. Nam Act. 1. Lucas dicit: *Cecidit fors super Matthiam, & annumeratus est cum undecim Apostolis*. Græcè est *ἡ συγκλητήριον*, id est, suffragiis additus est. Nam *ἡ συγκλητήριον* est dare suffragium, & *ἡ ψήφισμα* est ipsum suffragium, & tamen B. Mathias non suffragiis, sed sorte electus est. Itaque *ἡ συγκλητήριον* eo loco accipitur pro cooptare, quocunq; modo id fiat. Et Act. 10. *Dedit eum manifestum fieri non omni populo, sed re- sistibus praordinatis à Deo*. Græcè, *ἀλλὰ μόνον τοῖς πνευματικῶν*. Nec tamen Deus suffragiis elegit, quibus ostenderet Christum rediuuium.

TERTIO, significat apud Ecclesiasticos, ordinare per manuum impositionem. Nam Chrysostomus hom. 14. in Acta, exponens illud: *Et cum orassent, imposuerunt illis manus*. Sic ait: *Ἐτο γὰρ ἔτι χειροτονία*. Et hom. 10. in 1. Timoth. quærit, cur Apostolus, cū præcepit de Episcopis, trāsit ad Diaconos, omissis Presbyteris. & respondet, quia Episcopi & Presbyteri sunt iidem, nisi quod Episcopi ordinant, Presbyteri non ordinant. *τί τὸ χειροτονίαν μόνον ἀναβέβηται*.
Eodem

Eodem modo Concilium Nicænum in epistola ad Alexandrinos apud Theodoretum libr. i. histor. cap. 9. utitur voce χειροτονία, pro ordinatione; si igitur accipiamus illud Act. 14. χειροτονήσαντες, secundo modo, vel tertio, argumentum solutum est; si aut accipiamus primo modo, tunc notandum est, χειροτονεῖν, non significare eligere per suffragia ab aliis data, sed eligere proprio suffragio, ut patet ex etymologia, & ex usu auctorum. Nam Demosthenes in oratione contra Timocratem, tribuit populo χειροτονεῖν. Sic enim ait: ὁ δὲ ἴμω τὰς ἐμὰς γνώμας περὶ σωτηρίας τῆς πόλεως ἐχειροτονεῖ. Similiter Cicero in oratione pro Flacco, de populo dicit: Porrexerunt manus, psephisma natum est. Cùm ergo Lucas dicit de Paulo & Barnaba, χειροτονήσαντες δὲ αὐτοῖς ἀπελευτέρας κατὰ ἐκκλησίαν, nō vult dicere, Paulum & Barnabam ad suffragia populi creasse Episcopos, sed ad suffragia propria tantum, nisi velint aduersarij illud, χειροτονήσαντες referri ad populum, repugnante tota sententia Scripturæ. Nam de quibus dicitur; cùm constituisent Presbyteros, de iisdem dicitur: *Commendauerunt illos Deo, in quem crediderant*; quæ sine controuersia ad Apostolos tantum referruntur.

7. » Argumentum SEPTIMUM sumunt Lutherus, Calvinus,
 » Kemnitius, & Illyricus ex Cypriano, qui lib. i. epist. 4. sic ait
 » Propter quod plebs obsequens preceptis Dominicis, & Deum
 » metuens, à peccatore preposito separare se debet, nec ad se
 » crelegi Sacerdotis sacrificia miscere, quando ipsa maxime ha-
 » beat potestatem, vel eligendi dignos Sacerdotes, vel indignos
 » recusandi, quod & ipsum videmus de diuina auctoritate de-
 » scendere, ut Sacerdos, plebe presente, sub omnium oculis dele-
 » gatur, & dignus atque idoneus publico iudicio ac testimonio
 » comprobetur, &c.

RESPONDEO dupliciter. PRIMO, Cyprianum non velle dicere, descendere ex iure diuino, ut Episcopus à populo eligatur, sed ab exemplis diuinis, ut patet ex sequentibus. Nam probare volens, hoc descendere de diuina auctoritate, probat solum tribus exemplis Scripturarum; quia nimirum Eleazarus, Num. 20. coram populo ordinatus est, & similiter

Acta populi 11/15
 1. Charas
 2. Marthe
 3. Simon

Mat.

Matthias, Actor. 1. & septem Diaconi, Actor. 6. At exempla Scripturarum non faciunt, rem esse de iure diuino, sed præcepta Dei sunt, quæ hoc faciunt.

SECUNDO dico, Cyprianum hoc loco nihil tribuere populo circa electiones Sacerdotum, nisi ut ferat testimonium de vita & moribus ordinandorū, quod etiam nunc seruatur in Ecclesia Catholica. Dicit autem Cyprianus, populum habere potestatem eligendi, & suffragium ferendi, quia potest dicere, si quid nouerit boni vel mali de ordinando, & sic testimonio suo efficere, ut eligatur, vel non eligatur. Itaque habet populus secundum Cypriani sententiam, potestatem eligendi & suffragandi per testimoniū, non per calculum, more testis non iudicis, id quod ex eodem loco perspicuum fieri potest; dicit enim debere in Ecclesia eligi Episcopū, quomodo Scriptura docet fuisse electum Eleazarum. At Scriptura Num. 20. dicit, Eleazarū electum à Mose, & nihil tribuit populo, nisi coram eo fuisse Eleazarum electum; & Cyprianus explicans hoc, ait: *Coram omni Synagoga iubet Deus constitui Sacerdotem, id est, instruit, & ostendit ordinationes sacerdotales, non nisi sub populi assistentis conscientia fieri oportere, & plebe presente, vel detegantur malorū crimina, vel bonorum merita pradicentur. Et infra: Propter quod diligenter de traditione diuina & Apostolica obseruatione seruandū est, & tenendum, quod apud nos quoque, & ferè per prouincias diuersas tenetur, ut ad ordinationes ritè celebrandas ad eam plebem, cui Præpositus ordinatur, Episcopi eiusdem prouincie proximi quoque conueniant, & Episcopus deligatur, plebe presente, qua singulorum ut amplèssimè nouit, & diuisusquisque actum de eius conuersatione perspexit.*

Argumentum OCTAVVM sumit Illyricus ex Nicæno Concilio; nam in epistola eiusdem Concilij ad Alexandrinos, apud Theod. lib. 1. cap. 9. hist. habentur hæc verba: *Dignū est, vos potestatem habere, & eligendi quemlibet, & nomina eorum dandi, qui Clero sunt digni, & absolute facere omnia secundum leges & sanctiones Ecclesie: si quem Verò contigerit requiescere in Ecclesia, tunc prouehi in honorem defuncti eos, qui nuper assumpti sunt, solummodo si videantur digni, & populus eos elegerit, condecernente simul, & designante maxime Alexandria cunctatis Episcopo.*

RESPON-

Ubi de potestate eligendi per synagoga

exan-
voce
ct. 14.
m so-
ū est,
is da-
gia, &
a Ti-
m
tōves,
dicit;
Lucas
pæ-
arna-
ragia
urte
tura
teros,
quem
nium
minus,
sic ait
Denn
ad sa-
ne ha-
dignit-
ate de-
is deli-
mou
n velle
lo ell
. Nam
e, pro-
um E-
milites
Mat-

RESPONDEO, ex hoc testimonio nihil aliud colligi posse, nisi iam tum cœpisse consuetudinem, vt populus electioni admisceretur, quod nos minimè negamus. Non autem inde colligitur, id esse de iure diuino, quod aduersariis erat probandum. Sed NOTANDA est hoc loco duplex fraus Illyrici. Nam Concilium Nicænum initio huius testimonij ab Illyrico citati, non loquitur de plebe, sed de Episcopis, atque illos dicit habere debere potestatem eligendi, & omnia faciendi secundum Ecclesiæ sanctiones: Illyricus autem sic peruertit, & immutauit verba, vt videatur Concilium tribuere plebi omnem potestatem gubernandi Ecclesiam; deinde ad finem eius testimonij Concilium dicit debere eligi Episcopum à populo, sed confirmari electionem ab Episcopo Alexandrino (nam de Episcopis Ægypti agitur) & proinde tribuit Concilium præcipuam auctoritatem Episcopo in electionibus: Illyricus autem immutauit verba, vt videretur Episcopus nihil amplius posse, quàm populus. vide eorum locum.

- » Argumentum NONVM Illyrici, Caluini, & Kemnitij, sumitur ex epistola Concilij II. generalis ad Damas. quam citat Theod. lib. 5. hist. cap. 9. vbi sic legimus: *Reuerendissimo & Deo amabilem Nectarium Episcopum ordinatum coram vniuersali Concilio cum omni concordia, sub aspectu etiam Deo amabilis Imperatoris Theodosij, vniuersisq; Clericis cuncta decernente pariter ciuitate.* Similia profert Caluinus ex Leone epist. 89. & Gregorio lib. 2. epist. c. 69. Addit Kemnitius vnum testimonium ex Ambrosio lib. 10. epist. 82. & alia quæ non ex fontibus citat, sed ex decreto Gratiani, d. 23. c. 62. 63. 65. 67. & 8. q. 1. can. Licet. multa etiam eiusdem generis citat Illyricus in suo libro de electione Episcoporum.

RESPONDEO PRIMO, ex nullo horum testimoniorum colligi, esse de iure diuino, vt populus eligat. SECUNDO, in his omnibus, vno vel altero exceptis, nullam fieri mentionem electionis, sed solùm postulationis vel testimonij. TERTIO, nos non negare, quin aliquando populus elegerit, sicut etiam nunc in quibusdam locis eligunt Reges, sed id iuris habere eos, vel habuisse ex concessione Pontificum, non ex iure diuino. Ex quibus apparet, quàm splendidè mentiatur Caluinus lib. 4. Instit. ca. 5. §. 2. cum dicit, ritum eligendi Episcoporum sine

sine suffragio populi pugnare cum verbo Dei, & cum multis Conciliorum decretis, quæ statuerunt, irritam esse electionem si aliter fiat. Nam nec vllum verbum Dei attulit, nec vllum Concilij decretum, nec vllum afferri potest, in quo habeatur quod ipse dicit.

Argumentum DE CIMVM Illyrici, sumitur à consuetudine Ecclesiæ. Dicit enim, fuisse vsum istum in Ecclesia per annos ferè M. CCC. & solùm à tempore Friderici II. qui obiit anno M. CCL. introductum, vt Laici excluderentur ab electione. Probat autem, quod tam diu durauerit consuetudo eligendi ad suffragia populi, ex Gregorio IX. qui sedit tempore Friderici. Exstat enim in decretalibus epistolis à Gregorio IX. editis, tit. de electione, cap. Messana, mentio huius rei; necnon in epistola eiusdem Gregorij ad Episcopum Bremensem, apud Krantzium lib. 8. Metropolis, cap. 3. Denique ita concludit Illyricus hoc argumentum. Quare nullum prorsus est dubium, quin electio ante annos CCC. & deinceps quoque aliquandiu à Laicis citra omnem controuersiam sit factitata.

RESPONDEO, Illyricum egregiè mentiri. Nam in primis, Apostolorum tempore, & deinceps multis annis nihil potuit in electionibus populus, nisi testimonium vitæ dare, vt ex supra dictis patet; deinde consequentibus seculis irrepsit plebs ad suffragia, sed nec tam longo tempore, nec citra controuersiam, vt Illyricus dicit. Nam Gregorius IX. in epistola citata ad Bremensem Episcopum, clarissimè dicit, Canonico- rum fuisse electionem, licet accesserint etiam vota, id est, desideria & postulationes populi.

PORRO caput Messana, est contra ipsum Illyricum; nam in eo capite prohibetur seuerissimè, ne Laici eligant: *Edicto*, inquit Honorius, *perpetuo prohibemus, ne per Laicos cum Canonicis Pontificis electio presumatur; quod si forte presumpserit, nullam obineat firmitatem, non obstante contraria consuetudine*, qua dici debet potius corruptela. Hæc ille. Non igitur citra controuersiam Laici ante annos trecentos eligeant. PRAETEREA, electio Alexandri III. ante annos CD. per solos Cardinales facta est, vt cognosci potest ex Radeuico lib. 2. de rebus gestis Friderici I. cap. 50. & sequentibus. Item electio Gregorij VII. ante annos

DDd

quin-

29. à laonista
Suo sedes

quingentos, per solos Cardinales facta est, vt patet ex decreto electionis illius apud Platinam. DENIQUE, quomodo citra controuersiam vsque ad annum M. C. C. Laici elegerunt? cùm, vt suprâ citauimus, Concilium octauum ante annos D C C. & Concilium septimum ante annos DCCC. & Concilium Martini Papæ ante annos DCCCC. & Concilium Laodicenum ante annos M. CC. interdixerint, ne Laici eligant.

Argumentum VNDECIMUM est eiusdem Illyrici, qui politicas rationes quasdam profert, sed ineptissimas, qualis illa est, quod Canonici & Monachi ferè semper eligant Episcopos, aut Abbates Papistas, rarè aut nunquã Lutheranos, scilicet, valde expediret Ecclesiis & Monasteriis, vt ab iis gubernarètur, qui nihil oderunt magis, quàm Clericos & Monachos. Addit etiam, valde esse incommodum, quod cùm Episcopi & Abbates Germaniæ sint etiam Principes temporales, à sex tantùm aut octo interdum hominibus eligantur, quasi Imperator non sit Princeps longè maior, qui tamen ex tantùm aut septem Electoribus creatur.

CAP V T VIII.

Sexta Propositio.

ELECTIO Episcoporum non pertinet iure diuino ad Clerum, sed ad summum Pontificem, vt vel ipse eligat, vel prescribat eligendum.

Probat PRIMO, quoniam ex Euangelio nihil aliud habemus, nisi Ecclesiam vniuersam S. Petro esse commissam, Ioan. vlt. Itaque ad illum pertinet, providere Christianis de iis, qui curam eorum gerant. DEINDE, si ad Clerum pertineret electio iure diuino, ad totum Clerum pertineret. Non enim ius diuinum definiuit, vt hi potius, quàm illi ex Clericis eligant; at non omnibus Clericis conuenire electionem, satis probatur ex eo, quod eadem ferè incommoda acciderent ob multitudinem Clericorum, quæ accidebant in electione.